



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 221. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo  
improperabant. v. 44.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

cum eundem digito vobis monstravit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & cum misistis in desertum ad Ioannem ab Hierololymis Sacerdotes & Levitas, vt interrogarent eum, Tu quis es? & ille confessus est & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus. & adhuc amplius: Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venit, qui & ante me factus est cuius non sum dignus, vt, Tuam corrigiam calceamenti eius. Audite & intelligite. Sed probavit & ipse Christus, se vere esse filium Dei (Ioan. 6. cap.) ad admirationem vestram, cum dicebatis: *quomodo hic literus scit, cum non didicerit!* Ecce ille respondit & dixit: *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me &c.* ita aperte, ut quidam dicerent: *Hic est Christus: Quid igitur modo ei obijcitis, ô stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ? ô Principes? vos scitis eum sed credere non vultis ob maliciam vestrâ? scietis autem clarius, sed vestro, cheu! magno damno quando veniet cum potestate magna in nubibus iudicare vivos & mortuos, & eos qui crediderint saluos facit, qui vero non crediderint ignibus æternis cremandos adiudicabit.**

**O** Iesu fili Dei viui, credo & confiteor te filium Dei vnicum, sicut docuisti, per ineffabilem ergo illam mihi præstitam misericordiam, qua fidem Catholicam tribuisti mihi, obsecro adauge in me illius fidei fructus, adauge spem, adauge charitatem vt à cunctis erroribus & peccatis liber intellectum meum in captiuitatem redigam sub obedientia Ecclesiæ tuæ semper, & omnem cogitatum meum in te proiciam, totumque me tuae providentiæ credam, parum in creaturas respiciens sed in cunctis paterni tui cordis curam & pietatem erga me intelligens, de manu tua omnia accipiam, pro omnibus te laudem & gratias agam, & in beneplacitum tuum totum me semper resignem, offeram & expendam, Amen.

§. 221. *Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant. v. 44.*

Unus solus an plures latrones ita fecerint, dignum est considerari. Quidam aiunt initio utrumque ita egisse, mox unum eorum respuisse. Recte dici etiam potest blasphemantem unam personam, significatione seu figura multos fuisse. Erat enim typus omnium qui in suis aduersitatibus non reuertuntur ad Deum suum, sed & blasphemant: Ut ut sit: Audientes latrones qui cum Christo crucifixi erant, & in eadem mortis pœna, Principum ludæorum, & populi blasphemias in Christum, inceperunt & ipsi obijcere blasphemias eius & blasphemare. Tantum scandalum, pro Deum immortalem! operati sunt Principes suis in Deum blasphemias, ut non solum populus confirmaret eorum dicta nefanda, opprobria, blasphemias, sed & ipsi



ipsi latrones in ipsis tormentis, in ipso quasi mortis articulo ita crederent & impropereant Iesu omnia sua dicta, facta miracula, tamquam falsa & deceptoria, ô quis non hic cõdoleret pro Iesu & in maximis suis tormētis hæc debere audire etiam ab associatis sibi in tormento, à quibus solatium solet esse misero!

**O** Bone Iesu, tu pro solatio habes à malis sociis tuis latronibus opprobria, illusiones, vexationes, maledicta, & taces! Video certe abyssum, imo finem, quem brevis dabit his malis Pater, ut hæreditate capias terram, & consolationem cœlestem & sempiternam. Sed & ô quantum nocent prava dicta & facta! quantum obest & subditis peccatum suorum superiorum & Dominorū! Ecce Principes initio ceperunt invidere odisse eius verba, & facta calumniari, ipsum persequi: Ecce quomodo sequatur tota plebs & ipsi latrones in ipso mortis articulo!

Te supplex igitur & corde devoto oro Domine pro Magistratu omnium tam Ecclesiastico quam sæculari, qui rempublicam aliquam administrant, ut gladium tam spiritualem quam sæcularem tibi per te commissum in fide vera, & timore Dei recte gerant, eoque pro tua voluntate & iussu utantur; obumbrer ipsos virtus & sapientia altissimi, illuminet & confirmet eos in amore Dei ipsa divina gratia, concede ut omnes subditos in veritate fidei dilectione & iustitia regant, neminem scandalizantes verbo vel exemplo.

§. 222. *A sexta autem hora tenebra facta sunt super universam terram. v. 45.*

Audivimus Homines ratione præditos, & libertate arbitrij potentes, videamus indignationem creaturarum insensibilium. sol & luna visis & auditis tot blasphemias in creatorem suum, non poterant se continere amplius, quin ipsi quodammodo vindicarent plangendo iniuriam factam creatori suo & toti mundo parefacerent gravitatem peccantium & blasphemantium. Iesum Creatorem & redemptorem generis humani, & Dei patientis longanimitatem, ideo subtrahunt lumen suum orbi terrarum præter naturæ ordinem, ut si illi eum agnoscere nolint, se loco hominum eum & agnoscere & profiteri, vere enim dignum & iustum est, ô sol iustitiæ, cum rationalis creatura in laude & agnitione tua deficiat, irrationalis te prædicet; & cum illa peccata sua lugere dedignatur, hæc luctum publicum assumat.

**O** Iesu, lux æterna, te rogo etiam atque etiam, ne sinas intellectum meum ita obnubilari, ut tui obliviscar, aut mearum miseriarum & pecca-